

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Anthropologia Anatomico-Physica

Baumer, Johann Wilhelm

Francofurti, 1784

VD18 11680695

Cap. XVII. De venis pectoris.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16622

las venosas a musculis subscapulari, rotundis, infra spinato, pectorali maiori, spinoso dorsi magno, atque glandulis axillaribus accipiens, *vena axillari* immittuntur, quæ in pectoris cavitatem declinans, *venæ subclaviæ* nomen recipit. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXV. n. 11. lit. O. & tab. XXVI.

Obs. In viro vena subclaviæ dextra ex duobus constabat radicibus, iam ad axillarem incipientibus, quæ ad iugularis internæ ostium demum confluebant, facta insula quinque transversos digitos longâ. Vid. *J. B. Morgagnus* de sedibus & causis morborum per anatomen detectis lib. V. ep. LXIX. art. 11.

CAP. XVII.

De venis pectoris.

§. I.

Vena subclaviæ.

Venarum subclaviarum, sub alviculis incedentium, dextra brevior est, atque fere ad perpendiculum descendit, sinistra vero longior est, situque magis horizontali gaudet. Venas vertebrales & iugulares nonnullas pectorales minores, atque, in latere suo externo, venam ab axilla venientem recipiunt. Vid. *J. B. Morgagni* epist. anat. XV. art. XXXVIII. atque in cavæ superioris truncum confluunt. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXV. n. 11. lit. e.

§. II.

Radices venosæ, ab arteria aspera, glandulis thyroidea, bronchialibus, thymo & musculis sternohyoideis exeuntes, gutturis venas constituunt, quarum sinistra subclaviæ, dextra cavæ superioris divisioni, super mammariam internam, interdum vero subclaviæ eiusdem lateris, immittitur. Venarum glandulæ thyroideæ tres sinistrae ad subclaviam, totidem dextræ ad cavæ bifurcationem abeunt. *B. Eustachii tab. anat. XXV, n. 11. lit. f. de Haller icon. anat. fasc. III, tab. III,*

§. III.

Venarum thymi, ex venosis glandulæ huius radiculis collectarum, dextra venæ cavæ superioris divisioni, sinistra subclaviæ eiusdem lateris immittuntur. Quandoque eius radiculæ venosæ ad venas mammarias internas, bronchiales, mediastinas, intercostales superiores & iugulares abeunt. Radiculæ venosæ, ex pericardio partibusque vicinis collectæ, venas pericardii dextram atque sinistram constituunt, quarum illa cavæ superioris trunco, prope divisionem in subclavias, vel subclaviæ dextræ, hæc vero subclaviæ sinistrae, interdum autem mammariæ internæ, aut diaphragmaticæ superiori, inseritur.

§. IIII.

Ex venosis mammaram, musculorum intercostalium, septi transversi ac mediastini

H

radiculis venæ mammariæ internæ coalitæ, facta cum venis epigaltriciis in musculis abdominis rectis anastomosi, in puerperarum corporibus mortuis maxime visibili, ad sterni latera, arteriis eiusdem nominis sociæ, in cartilagineis costarum partibus ascendunt, earumque dextra anteriori divisionis cavæ superioris angulo, & sinistra, ad anteriorem primæ dorsi vertebræ partem, venæ subclaviæ sinistrae immittitur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXV. n. 11. lit. I.

§. V.

Intercostales.

Venæ *intercostales superiores sinistrae*, ex musculorum intercostalium, pectoralium, ferratorum ac vertebralium radiculis & finibus canalis spinosi venosis ortum ducentes, venæ subclaviæ, vel axillari, sinistrae, rarius venæ sine pari, inferuntur. *Intercostales sinistrae inferiores*, ex dictarum partium, diaphragmatis atque musculorum lumborum venulis orientes, in venam sine pari abeunt. *Intercostalium dextrarum superiorum* duæ tresve simili origine, ex dictis musculis, gaudentes, communi trunculo in arcum venæ sine pari confluunt. *Intercostales dextras inferiores*, consimilibus, ut sinistrae, locis natas, vena azygos inferius recipit. Intercostales omnes, in costarum sulcis decurrentes, circa harum extremitates, anastomoses perpendiculares inter se, aliasque cum venis mammariis, faciunt. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXVI. lit. L. *de Haller* icon. anat. fasc. III. tab. III. fig. 1.

§. VI.

Vena azygos vel sine pari a radice notabili, ab imi ventris musculis veniente, sub diaphragmate ultimaque costa exoritur, factis incertis cum vena cava, renali, spermatica, lumborumve vicina anastomosis, ad dextrum vertebrarum dorsi latus costarumque radices sursum repit, atque in itinere pluribus radicibus venosis atque inter has decem intercostalibus aucta, sub pulmonis dextri vasis maioribus, arcus instar flectitur, ac super tracheæ in bronchia duo maiora divisionem, a quibus etiam radiculis donatur, superiori cavæ trunco inseritur. Valvulis, ac circa orificium suum hemisphinctere musculari gaudet. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXVI. lit. φ. *Jo. Bapt. Morgagni* advers. anat. V. tab. I. *de Haller* fasc. III. tab. III. fig. I.

Obs. Tubulos inter venam sine pari atque arteriam asperam iniectione anatomica *Lancisus* detexit, vid. eius diss. de vena sine pari. *B. S. Albini* tab. de vasis chyli ferri cum vena azygos, arteriis intercostalibus aliisque vicinis partibus, Lugd. B. MDCCLVII.

§. VII.

In nonnullis, maxime feminei sexus, subiectis vena hemiazygos in lævo pectoris latere deprehenditur, quæ ima radice a vena sine pari incipiens, transversoque in prima lumborum vertebra itinere ad sinistram latus pergens, ibique ascendens, qua-

tuor aut quinque radices ab intercostalibus recipit, ac denique in subclaviam eiusdem lateris se exonerat. Orificio eius sphincter semicircularis quoque appositus est. Inferiorum vero musculorum intercostalium venosæ propagine ad dextram venam sine pari pergunt. Vid. *J. B. Morgagni* advers. anat. V. tab. I. *Dn. H. A. Wrisberg* observ. anatomicæ de vena azyga duplici, aliisque huius venæ varietatibus, *Gœtt.* MDCCLXXVIII.

§. VII.

Vene
bronchia-
les.

In utroque pulmonum lobo ex radiculis suis, cum venarum pulmonalium radiculis anastomoses nectentibus, venæ bronchiales duæ oriuntur, quarum dextræ in arcum venæ sine pari vel cavæ truncum, sinistrae cum radice intercostali in aorta rete facientes intercostali superiori sinistrae, quandoque etiam subclaviæ sinistrae inferuntur. Vid. *de Haller* icon. anat. fascic. III. tab. V. fig. I.

§. VIII.

Oesopha-
geæ.

Venæ œsophageæ, ex radiculis suis collectæ, numerosæ sunt, earumque superiores thoraciæ in bronchiales sinistrae, thyroideam inferiorem, vertebralem sinistrae, mammariam dextram arcum venæ sine pari aut cavam, inferiores vero in venam sine pari atque hemiazyon abeunt.

§. X.

Venarum mediastini plurimis radiculis ex *Mediasti-*
 duplici eius membrana venientium *dextra^{na.}*
 trunco cavæ superiori, prope venam sine
 pari, atque sinistra subclaviæ eiusdem late-
 ris immittitur. Cæteroquin cum mamma-
 riarum internarum, intercostalium atque
 diaphragmaticarum radiculis anastomoses
 faciunt.

§. XI.

Venæ diaphragmatica superiores duæ *Phrenica*
 multis radiculis ex septo transverso ac pe- *superiores.*
 ricardio exfurgunt, earumque dextra ad
 cavæ superioris divisionem, prope media-
 stinam, sinistra ad subclaviam sinistram,
 quandoque alterutra in venam azygos vel
 hepaticam aliquam, abeunt.

CAP. XVIII.

De extremitatum inferiorum venis.

§. I.

Plures pedis extremi radiculae venosæ in- *vena pero-*
 ter se iunctæ duas tresve *venæ peroneæ neæ.*
 radices constituunt, quæ, ad malleolum ex-
 ternum ascendentes, internum fibulæ latus
 sequuntur, & pluribus cum tibialis poste-
 rioris radiculis factis anastomosis, in as-
 censu suo multas musculorum peroneorum
 longique flexoris digitorum pedis radículas
 recipientes, in truncum coalitæ cum vena